

tribuitur Marthæ, forori Lazari, quæ dicitur distraeta super frequentem διακονίαν. Ita etiam latius accipitur Act. XI, 29. 2. Cor. IX, 1, & 2. Tim. IV, 11. Frequentissime autem significat in specie *ministerium & ordinem ecclesiasticum*. Quemadmodum de Iuda ad apostolatam vocato Petrus act. I, 17. dicebat: connumeratus erat nobis, & sortitus erat partem διακονίας ταύτης, *ministerii hujus*. Ita sumitur 2. Tim. IV, 5. & 1. Cor. XII, 5. ubi dicuntur fuisse διαίρεσις διακονιών i.e. distinctæ species officiorum & ministeriorum. Vox concreta διακονία notat (1) ministrum in genere Matth. XXIII, 11. (2) eos qui præerant ærario ecclesiastico, Act. VI, 2. inprimis autem (3) *Doctores verbi*, 1. Cor. III, 5. In qua quidem ultima significatione etiam ego in sequenti tractatione accipiam voces *ministorum & ministerii*. Secundum quam *ministerium ecclesiasticum est officium sacrum, a Deo per legitimam vocationem idoneis personis demandatum, ut docendo verbum Dei & sacramenta dispensando homines ad æternam salutem adducant.*

§. II. Quæ §. præced. de appellatione *ministerii* dicta sunt, admonent & movent veros ecclesiæ ministros, ut agnoscant, nullum competere ministris dominium, nullam potestatem, præter *ministerialem*, quæ non in cogendo, sed in docendo, hortando, dehortando, dirigendo, & corrigendo consistit, nec ullum includit dominatum politicum. Ipse magister noster coram magistratu politico constitutus disertis verbis profitebatur: *regnum meum non est de hoc mundo*. Joh. XII, 36. Non est autem discipulus major suo magistro. Idem increpat discipulos, qui dominatum quendam civilem affecta-